Ut Sol, mundi oculus, quaecunq; illuminat, illa
Calida etiam format: Sic Princeps usq; favore
Illos complecti debet, quos aspicit unquam.
Haec benè, ceu fas est, si jam spectetur imago,
Mox apparebit, quod munus Principis omne
In se contineat, quod certè nemo negabit.
Sicut enim Phoebus, Coeli clarissimus ignis,
Calfacit, illustrat, moderatur et omnia: sic et
Principis atq; Magistratus est usq; fovere
Cives; praeprimis verò Rem publica dici
Quae meruit dudum, illustrare et ritè tueri.
Istam naturam Phoebeae lampadis olim
Imperatores vigilanter sunt imitati;
Queis curae cordiq; fuit Respublica semper.
Lucidus est per se Sol, sublunaria luce
Illustratq; sua: quò res discernere, nec non
Ut rectè facere, quae sunt facienda, queamus.
Sic etiam est Princeps religione, bonisq;
Excultus studiis, quorum splendore per omnem
Vitam concinnat Cives, et ad omnia, vitae
Quae prosunt hominum, capienda, incendere tanquàm
Ipse solet lumen, quò dextrè singula cedant.
Ipsemet est calidus Sol, ritè per omnia signa
Currit Zodiaci, defendit frigore mundum,
Nec non calfaciat: plantis reliquisq; vigorem
Atq; potestatem sine dat discrimine rebus:
Haec minimè Princeps piger est ratione: labores
Sed tales subiisse solet, qui commoda cunctis
Magna ferunt, aequis qui parent legibus ejus.
Semper juratos à vi defendit alumnos
Hostili: colligit copias, et hisce repellit
Hostes: ne spolient urbes, sacraria, Pagos,
Consilii sedes, Arces, et Templa Deorum.
Vitae subsidia, et commercia legibus aequis
Constituit, partem non unam curat amatq;;
Sed totum gentis propriae corpus: respicit et
Nullam personam, sublatis omnibus illis,
Ad legem quae vel faciunt, vel fortè ruinam
Fatalem sceptro mandato inferre videntur.